

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De Cemento. Cap. XXIX

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

potest hujus examen cinericii in crucibulo terreo, & in circuitu illius sufflari: & super faciem ejus similiter, ut circiter confectur examinandum. His igitur sufficienter narratis, ad cementi examen transeamus, cum causis suis & suis experienciis manifestis & notis.

De Cemento.

CAP. XXIX.

DIximus igitur quod corpora quaedam magis, quaedam vero minus per ignis comburuntur calcinationis modum: Ut quae pluris sunt sulphuris quantitatem combustibilis continentia; quae vero minus, minus. Quia Sol igitur inter caetera corpora minoris est sulphuris, quantitatis: ideo inter caetera omnium mineralium corporum, minime per ignis inflammationem comburitur. Luna vero post Solem inter omnia corpora reliqua, minus est sulphuris quantitatis participans: pluris autem quam Sol. Igitur minus potest, secundum hoc inflammationis ignitionem temporis spacio longo tolerare quam Sol, & res per consimilem comburentes naturam. Minus Venus: quia Sole & Luna pluris est sulphuris, & terreitatis majoris: Ideo minus inflammationem illis tolerat: Jupiter vero minus Venere; plus vero Sole & Lu-

na sulphureitatis & terreitatis participat :
 Et ideo minus per inflammationem Vene-
 re comburitur; plus vero Sole & Luna. Sa-
 turnus vero plus terreitatis & sulphureita-
 tis per naturam in commixtione servavit ,
 quam nunc dicta corpora : Et ideo citius
 & facilius omnibus dictis inflammatur
 corporibus ; & per inflammationem com-
 buritur velocius : propter hoc quod sul-
 phureitatem maxime habet conjunctam, &
 Jove magis fixam. Mars vero non per se,
 sed per accidens non comburitur. Cum e-
 nim cum multæ humiditatis commiscetur
 corporibus , combibit illam propter suæ
 humiditatis carentiam. Et ideo conjunctus
 non inflammatur, nec comburitur , si non
 inflammabilia nec incombustibilia sint
 corpora sibi unita. Si vero combustibilia
 sint illi commixta corpora , secundum na-
 turam suæ combustionis ; necessario eve-
 nit Martem comburi & inflammari. Cum
 igitur ex rebus constituatur inflammabili-
 bus cementum ; patet causa illius inven-
 tionis necessaria ; & fuit , ut omnia com-
 bustibilia adurentur. Cum igitur unum
 solum sit corpus incombustibile, solum igi-
 tur illud , aut ad illius naturam prepara-
 tum , in cemento salvatur. Durant tamen
 quædam magis: quædam vero in cemento
 minus. Quæ vero magis , & quæ minus ,
 nota sunt cum causis dictis. Durat igitur
 I 4 plus

plus Luna, minus vero Mars : adhuc vero & minus Jupiter: minus vero & adhuc Venus : minime autem Saturnus. Narremus igitur cementi modū: Cūq; cognitu nobis sit maxime necessarium in perfectionis examine dicimus; quoniam illius est compositio cum inflammabilibus rebus. Et sunt hujus generis res omnes denigrantes, & fugientes, & penetrantes, & comburentes: Sicut est vitriolum, Salar: & æris flos, & lapis figuli antiqui contriti, & sulphuris una quantitas, aut nihil, & virilis urina, & similibus acutis & penetrantibus. Incementantur igitur hæc omnia cum urina virili; & super illius tabulas tenues, de cujus sit intentione probationis hujus examen judicio percontari. Dehinc vero in fictili concluso vase super cratem ferream extendantur tabulæ: Ita tamen quod una ex eis alteram non tangat: ut libere ignis virtus ad illas percurrat æqualiter: Et sic triduo in igne forti conservetur in fictili. Cautela tamen adhibeatur, ut igniantur tabellæ, sed non fundantur. Post tertiam autem diem, tabellas omni impuritate mundas invenies; si in perfectione illarum extiterit corpus: Si vero non, corruptas omnino, & calcinatione combustas. Quidam tamen ponunt ad inflammationem tabellas absque compositionum cemento; & depurantur similiter, si perfectionis sint corpora: Si vero non,

com-

comburuntur omnino, longiori tamen combustionis spacio in hoc ultimo egent examine, quod sola ignis inflammatione perficitur quam quæ cimenti examinatur iudicio. Sed cum Luna quidem Solis naturæ non multa distet differentiâ, paucæ administrationis modo in iudicio quiescit: Et neque separatio corporum fit ab invicem in his duobus examinibus; nisi propter diversitatem compositionis substantiarum eorum. Quoniam ex eo resultat fusionis diversitas & spissitudo & raritas: quæ quidem separationis sunt causæ: quoniam propter fortem illorum compositionem, non corrumpitur illorum substantia à substantia corporis extranei; cum non fiat illorum per minima mixtio. Et ideo necesse est illa de commixto ad se invicem separari sine corruptione totali illorum essentiæ. Quamobrem administratio corporum imperfectorum completa, dignoscitur cum ejusdem fusionis & ignitionis, & soliditatis administratione reperta sunt ingenio.

De ignitione.

CAP. XXX.

Restat igitur ut capitulum de ignitione tradamus. Dicimus igitur quoniam corpora maximæ perfectionis cum

I 5 ignitione.